





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO CHIRURGICA  
DE

MORBO  
LAZARI

QUAM

CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET FACULTATIS MEDICÆ  
SENIORE

PRO DOCTORIS GRADU

PUBLICÆ ERUDITORVM DISQVSSIONI  
SVBMITTIT

D. *Septembr. Anni MDCCXXXIII.*

AUCTOR

SAMVEL GOTTFRIED FEIGE

KREIB. SILESIVS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

VIRI  
GENEALISSIMO EXPERIENTISSIMO  
ATQUE DOCTISSIMO DOMINO

DOMINO  
I. GEORGIO GOLTZNER

KOHLER

DE MOHRENFELD  
BYASTAE IN SCHOENFELD ET KNO  
BENSDORF

DN. PRAEVAE DOCTON GEBRUEHRTISSIMO  
AC HARENTESSIMO LYSTICO HONORATISSIMO

SVANNE REVERENDO DOCTISSIMO

DOMINO

M. GODOFREDO FEIGE

PASTORI ECCLESIAEVM EVANGELI-

CARVM KREIBITZ ET ALTHAM

2. AMENTISSIMO PASTORALI INTERIM

TARIBITI OPTIMO AD VENERANDO

UNIVERSITATEM

AVCTOR



VIRIS  
GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
ATQVE DOCTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
GEORGIO GOTTLIEB  
KOHLERO  
DE MOHRENFELD,  
DYNASTAE IN SCHOENFELD ET KNO-  
BELSDORFF,

MEDICINÆ DOCTORI CELEBRATISSIMO,  
PARENTI SVO LYSTRICO HONORATISSIMO;

NEC NON  
SVMME REVERENDO, DOCTISSIMOQVE

DOMINO  
M. GODOFREDO FEIGE,  
PASTORI ECCLESiarVM EVANGELI-  
CARVM KREIBAV ET ALTLOHM  
MERITISSIMO, FIDELISSIMO, INTEGERRIMO  
PARENTI OPTIMO AC VENERANDO.

HANCCE  
DISSERTATIONEM

D. D. D.  
AVCTOR.

V I R I  
GENEROSISSIME, AC  
SVMME REVERENDE!



Quum dispicerem, atque cogitarem mecum, cui potissimum dicarem laborum meorum academico-  
rum primitias; protinus in mentem inciderunt illi, quibus præter sum-

summaum Numen vitam meam debeo at-  
que felicitatem. Hi vero, VOS estis,  
Viri ad urnas usque filiali venerandi obser-  
vantia: quorum alterum sacræ initiationis  
arbitrum nuncupo honorifice; alterum Pa-  
rentem veneror. Hic enim mihi vitam  
dedit; ille testis fuit, cum inter cives ac can-  
didatos æternæ reciperer vitæ; uterque  
meam adjuvit, promovitque felicitatem  
consiliis, monitisque paternis. Vobis er-  
go, PATER LVSTRICE COLENDISSIME,  
PARENSEQUÈ DVLCISSIME, vobis, in-  
quam, cum totus debeat; vobis etiam la-  
borum meorum primi fructus omnino de-  
bebuntur, vobisque libandi sunt. Acci-  
pite ergo benigna, benevolaque mente  
parvum munusculum: aspiciate vultu sere-  
no exiguas pagellas, gratæ mentis testimo-  
nium. Cognoscite exinde, quam totus  
flagrem in demonstranda filiali, quam erga  
VOS foveo, observantia. Nihil enim  
): ( 2 mihi

mihī magis in votis est, nihilque ardentius  
a summo rerum moderatore flagito, quam  
ut vos, VIRI SUMME VENERANDI in per-  
petuo corporis mentisque vigore confer-  
vet; vestramque venerandam senectutem  
semper jubeat esse incolumem, faustam, læ-  
tamque. Hinc enim mihi licebit, vestro  
Favore ac Patrocinio uti, frui, gaudere diu-  
tissime, felicissime; vestrumque me nun-  
cupare

VIRI,  
GENEROSISSIME  
SUMME REVERENDE

*Hale XVII. Calend. Oct.*  
*MDCCXXXIII.*

Cultorem perpetuum  
SAMVEL GODOFREDVM FEIGE.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-  
CHIRVRGICA

DE

MORBO LAZARI

PRAEFATIO.



Inter medicinæ partes præ-  
stantissima vêtustissimis tempo-  
ribus celebrata fuit Chirurgia,  
& hodie celebrari videtur: &  
dum primi Podalirius & Ma-  
chaon, teste Cornelio Celso pag.2.  
vulneribus tantummodo terro & medicamentis  
mederi fuerunt soliti, ipsa quoque hæc pars est  
antiquissima. Veteres hinc medici pari studio  
chirurgiam coluerunt, tanquam medicinæ par-  
tem essentialem ac summe necessariam: adeo ut  
præcis temporibus vix inveneris celebres medicos,

A 2

quin

quin tuerint præclari chirurgi. Sed transit pedentim ad servos medicorum ars præstantissima, & ad nudam empyriam relegata fuit; nisi forsan hinc inde emicuerint veri chirurgi admodum rari, Fabricius ab Aquapendente, Hildanus, Paræus, Sculterus &c. Nostris autem temporibus sepulta ferme chirurgia resuscitari visa fuit; postquam Galli, & hos quidam Germanorum sequuti in ea excolenda insigniter desudarunt. Verum enim vero quemadmodum chirurgia duplex est, nimirum quæ vel ferro ac instrumentis curat, vel quæ medicamentis medetur: ita hodie manualis illa ac instrumentalis præ medica palmam præripere videtur. Si summos nostrorum temporum chirurgos, ac stellas in cœlo chirurgico primæ magnitudinis describerem: dicerem, quod sint galants hommes, qui effræni audacia omnia urere, secare, scindere, amputare, ac gallicam linguam strepere didicerunt. Hinc proh dolor! eo devenit res, ut qui ulcere quodam antiquo & sordido affectus, absque membri ulcerosi amputatione sanari cupit, sidera illa chirurgica minime adire debeat. Et gratulor Tibi, mi Lazare, quod nostris haud vixeris temporibus: cum enim totus fuisti ulcerosus, totum tibi forsitan corpus fuisset

fuiſſet amputatum. Abſit vero quam longiſſime, ut debitas chirurgiæ manuali detrahamus laudes; cui in certis caſibus ſuperſedere omnino non poſſumus. Sed optandum eſſet, ut melius excolendæ chirurgiæ medicæ ſtuderemus! Si ulcera duntaxat diſpiciamus, horum quidem frequentiora in libris chirurgorum inueniemus; rariora autem & abſtruſiora vel confuſe deſcripta, vel alio prætermiſſa ſilentio offendimus. Eadem fors preſſit ea ulcera, quæ ſub nomine morbi Lazari perſcrutari bono cum Deo conſtituimus: faxit Deus, ut cedat feliciter.

## §. I.

**Q**uem Lazari morbum vocant, explicaturi, operæ eſſe pretium putamus, ut ipſius nominis rationem reddamus. Ipſa igitur origo divo Lazaro natales ſuos debere videtur: cujus ſacræ litteræ in Evangelio Lucæ cap. XVI. v. 20. mentionem injiciunt, tanquam pauperis & mendici, toto corpore ulceroſi, & ad fores divitis epulonis procumbentis. Neque vero ad nos ſiſtat factum, uti veriſimile videtur B. Libero Baroni de CANSTEIN *in harm. Evangel.* aut num ſervator ſub Lazari perſona Johannem Baptiſtam, ſub divitis heluonis larva autem regem Herodem propoſuerit? anne potius parabolis ſit accenſenda? quippe quæ criticorum ſacræ ſcripturæ interpretum relinquimus indu-

stria. Id duntaxat instituti nostri ratio exigit, ut quantum rationali conjectura licebit, perscrutemur, qualis morbus Lazari a veteribus medicis fuerit, dictus, qualis nobis appelletur, an hodie adhuc detur ac quæ illius sit indoles ac curatio.

§. II.  
Primum itaque haud ignorari oportet, omnium absurdissimam, nulloque prorsus argumento stabilem eorum esse sententiam, qui forsitan putarent, Lazarum laborasse lue venerea. Ut enim taceam, turpe ac infame hoc morbi genus cum hujus probi viri, quem post mortem protinus aeterno gaudio donatum fuisse legimus, integritate plane pugnare; cui quæso in historia medica paululum versato incognitum erit, Neapolitanum hocce malum anno demum post Christum natum 1494. per milites, quos Christophorus Columbus ex America secum reduxerat, non tanto auro, quanto hoc morbo onustos, exercitui Romano Neapolim obsidione cingenti primum communicatum, & vi contagii, quod fovet, subtilissimi ad alias Europæ gentes delatum fuisse. *Conf. FALLOPIVS tr. de morbo gallico pag. 685. & ALEXANDER TRAIANVS PETRONIVS tr. de lue venerea pag. 1. seqq.* Sed visne forsitan, hanc gallicam luem cum Lindano aliisque jam veteribus & ipsi Hippocrati fuisse cognitam asserere: ac juxta IOHANNEM LANGIVM in *epist. medic. part. 1. ep. XLII. pag. 155.* ex aeris constitutione dicto anno in Italia denuo recruduisse? aut visne cum lepra veterum eandem pronuciare? Fateor multa esse utriusque morbi signa apprimè inter se convenientia: at vero non minus permulta sunt, quæ longissime ab invicem distant, & evidentem  
fatis

fatis evincunt differentiam. Deinceps vero nulla prorsus mentio fit luis venereæ inter Iudæos grassantis, qui turpissima lepra fatis multati fuerunt. Vnde ergo concludi possit, Lazarum illa fuisse conflictatum? Absit de hoc misero talia prædicare, qui tantum abest, ut vel cum scortis impuris rem habuisse, vel hominum hac lue infectorum consortio usum fuisse præsumatur, ut potius meliori dignus omnino sit iudicio.

## §. III.

Fuitne ergo lepra affectus Lazarus? quemadmodum fere innuere videtur LAVRENTIVS *in exegefi ad Evangelium Luca loc. cit.* & hinc leprofos olim Lazarum patronum invocasse refert CORNELIVS a LAPIDE *in Commentario ad citatum Luca locum.* Subsistamus hic paullulum, & perscrutemur lepræ varia genera. Insignis committi solet a recentioribus præsertim medicis confusio in explicanda lepra & elephantiasis: quorum morborum clariorem apud veteres duntaxat reperimus ideam. Lepra veteribus dicta fuit vel Arabum vel Græcorum: illa dicitur elephantiasis Græcorum, partim ob morbi magnitudinem, quam præ reliquis habet, quæque etiam Elephas inter cetera obtinere fertur animalia, Sunt ergo lepra Arabum, & elephantiasis Græcorum synonyma, a lepra Græcorum bene distinguenda. Datur vero etiam elephantiasis Arabum, quæ est tumor scirrhusus, varicosus, diurnus pedum atque crurum: de qua veretur FVCHSIVS *in paradox. Lib. II. cap. 16.* FORESTVS *obs. med. Lib. 29. obs. 26.* AMATVS LV-SITANVS *Cent. 2. curat. 64.* WEDELIVS *Pathol. Med. Sect. III. Cap. IV. p. 512. &c.* Hæc porro elephantiasis Arabum distinguenda est ab Alboti Avicennæ, quem

Lib.

*Lib. IV. fenestr. VII. tr. III.* describit; & Græci juxta *ÆTIUM Lib. IV. Cap. 62.* therminthum vocarunt, quoniam in cruribus suboriebantur crustulæ granis therebinthinæ haud absimiles: *FALLOPIVS oper. Tom. I. p. 685.* appellat malum mortuum recentiorum.

## §. IV.

Elephantiasis autem Græcorum seu lepra Arabum fuit morbus totius corporis fœdissimus ac insanabilis ferme: quem descriperunt *ARETÆVS Lib. II. cap. 13.* *FALLOPIVS oper. Tom. II. pag. 268.* *LOMMIVS obs. medic. p. 51.* *FORESTVS obs. chirurg. Lib. IV. obs. 7. &c.* Dividunt eam in incipientem, ubi interna duntaxat viscera vitio laborant, cute immuni; & confirmatam, ubi præter interna totus corporis habitus tæde fuit deturpatus. Incipientis, utut intricatioris signa auctores citati tradunt sequentia: Torpor est omnium actionum atque functionum, respiratio difficilis, motus voluntarius tardus & segnis; alvus pigra; lotium subjugale ac semper turbidum, absque tamen feбри, vel vitio renum vel vesicæ: fœtida spiratio; quemadmodum etiam totius corporis odor & ipse sudor est fœtidissimus; inexplibilis urget ad venerem cupiditas seu tentigo; rauci sunt & per nares loquuntur; ceterum mores habent melancholicorum similes, somnia gravia, incubum perpetuum. Vbi vero hæc omnia transeunt in cutim simul, eamque turpissime defœdant, tunc cognitu facilior morbus vocatur confirmatus. Horroris plenum & aspectu terribile morbi genus; cujus hæc sunt signa diagnostica: Facies potissimum depravatur; namque malæ tument inæqualiter, oculi præter morem rotundi, ac atro-rubore conspicui altius reconduntur: frons reddi-

redditur amplior, rugosa, tuberculis obfessa; palpebræ cadunt; mentum intumescit tumoribus duris, scirrhis, cancriosis; labra crassa, nasus simus, aures acuminatæ, tota facies rimosa, ac colore morpheato induta. Adfligit præterea continua sternutatio, lingua, & nares internæ obsidentur grandinibus; unde nares constringuntur, ægri per os spirant: cadunt non solum capilli, verum etiam totius corporis crines, & evulsi in radice carnem secum trahunt. Oriuntur varicosæ inflationes, tubercula, grandines, verrucæ in toto corpore, maxime facie, pedibus, digitis: hæc tubercula desinunt in rimosas dehiscentias, ulcera fœtida, ac denique squamas & furfures nigros: muscoli consumuntur in toto corpore; cutis *diversa* afficitur; ipsi ægri sunt timidi, fugiunt hominum consortia, hosque habent odio. Denique integræ partes exeduntur ac consumuntur; hinc curiosi, ac fere risu, nisi hunc hominum calamitas prohiberet, digni sunt casus bini, quorum primum recenset GREGORIUS HORSTIUS *obs. med. Sect. IV. pag. 388.* ubi quidam elephantiasis affectus, mane surrexurus integrum pedem corruptum reliquit in lecto: alterum allegat SCHOPPIUS *tr. de lepra*, quod quidam elephantiacus nares emuncturus, has cum pituita simul in terram projecerit. Sed fides sit penes auctores.

## §. V.

Hanc græcorum elephantiasin, Arabum lepram vocarunt quoque veteres Satyriasin, partim obvultum Satyris similem, partim tentiginem inexplibilem; Leoniasin ob faciem rugosam, leonibus similem, atque morbum Herculeum, quod sit magnus & inexpugnabilis.

B

Caussa

Causa est inquinamentum ac miasma quoddam specificum; quod humores vitales partim inspissat, ut hinc mores melancholicorum pateant; partim inquinat & penitus corrumpit: quæ corruptio non solum succos lymphatico serosos, verum etiam ipsum purpureum cruorem depravat, ac denique solidas quoque partes relaxat, depascit atque consumit: unde etiam ratio peti potest omnium symptomatum, ac quod morbus sit insanabilis. Causa remota allegantur vel hæreditaria labes, qua parentes eo morbo affecti hunc ad liberos propagant; vel contagium per concubitum ac conversationem communicatum, vel denique proprium vitium, quod in victu sordido, aëreque humido consistit. Quando mecum perpendo hodierni veri scorbuti symptomata, vix mihi temperare possum, quia iis cum afflictionibus elephantiacorum collatis, scorbutum leviorē elephantiacos esse speciem asseram; & inde miram morborum pro diversâ regionum ac aëris constitutione mutationem considerem. Sed transeat hæc conjectura, digna, quæ penitus investigetur.

## §. VI.

Hicce sævissimus morbus primum in Ægypto, speciatim Alexandria admodum fuit familiaris ac fere endemius, ob Ægyptiorum victum sordidum, ac impura subterranea habitacula; quemadmodum attestantur. *PLINIVS hist. nat. L. XXVI. cap. I. GALENVS Lib. II. de arte curandi cap. 10. PROSPER ALPINVS Lib. I. de medic. ægypti. cap. 14. Hinc LVCRETIVS Lib. VI. de natura: Est elephas, inquit, morbus, qui Nili flumina propter gignitur, Ægypto in media, nec præterea usquam. Fuit ergo morbus ille temporibus CORNELII CEL-*



CELSI plane incognitus in Italia; quemadmodum ille *Lib. III. cap. 25.* attestatur. Postquam autem temporibus Pompeji Magni, Julii Cæsaris, ac Medici Aesclepiadis Romanus exercitus Ægyptum petierat; ille reduxit secum contagiosum hunc morbum in Italiam, restantibus *PLINIO loc. cit. PLVTARCHO sympos. 8. probl. 9.* Abhinc demum latius vagabatur hoc malum per Europam, & maxime frequens fuit in Belgio, Gallia &c. adfirmantibus *AMATO LVSITANO Cent. 2. curat. 64. & VALERIOLA Lib. VI. enarrat. 5.* Quum autem luës venerea invaderet Europæas regiones; leprosus hic affectus fere penitus disparuit, saltem inter rarissimos refertur.

## §. VII.

Verum enim vero longe alia fuit indoles lepræ Græcorum; quæ magis cutis vitium denotat veteribus, non totum corpus occupat, nec tam fœdam universæ faciei deturpationem involvit, quanta elephantiasi propria est. Elegantissimus *FERNELIVS Cap. de impetigine* exhibet hujus lepræ ideam sub generali nomine impetiginis: cujus quatuor sistit species, nimirum primum scabiem siccam, quam veteres vocare solent pruritu; deinde lichenem; tum pso-ram, & denique lepram Græcorum. *Conf. FORESTVS obs. chir. Lib. I. obs. X. GREGORIVS HORSTIVS obs. med. Sect. IV. p. 390.* fufius explicat pso-ram & lepram hifce verbis: *Pso-ram judicamus, si scabies sicca, fœda cutim afficit, eam pusulis majoribus exasperat, durio-rem, tumidior-remque reddit, exedit, findit, ac in ea furfures producit. Lepram Græcorum colligimus, si malum in pejus progreditur, ut cum maximo pruritu & corporis atrophia caro sub cute simul exedatur, cu-*

is non solum in furfures, sed etiam squamas resolatur, nunc crassiores, nunc tenuiores, maxime circa pilosas capitis & faciei partes. Gradu enim ferme differunt hi morbi, adeo ut psora male curata in lepram Græcorum; hæc in elephantiasin abeat. Psoræ seu scabiei summe malignæ casus hodiernum adhuc dantur, licet rariores; qualem etiam recenset Excellentissimus HOFFMANNVS in *med. consult. Tom. IX. cas. V.* Num autem vera adhuc apud nos detur lepra Græcorum, fere ambigo; cum omnes quotquot de ea legi, observationes, mihi adeo videantur esse comparatæ, ut vel ad psoram vel Arabum lepram majori referri mereantur jure.

## §. VIII.

Lepra autem Judæorum peculiaris plane fuit indolis, quæ magis ad Græcorum, quam Arabum lepram accedit. HORSTIVS loco supra citat. putat eam conuenire cum vitiligine alba, & lichenibus: sed meo quietem arbitrio, vera illius indoles ac natura, quippe quæ etiam ædificia fuerunt imbuta, nobis manebit incognita & admiranda. Describitur illa in sacris bibliis Leviticor. cap. XIII. unde tantummodo sequentia notabimus momenta: 1) quod lepra Judæorum consistit in maculis albis, nive candidioribus, hinc inde in corpore sparsim obviis; quæ si locum capillatum obsederunt, pilos dealbarunt simul, 2) hæ maculæ exstiterint cute profundiores. 3) ulterius repserint; 4) juxta dies criticos a sacerdote fuerint judicatæ: 5) nec totum corpus occupaverint; tunc enim leprosi pro puris declarabantur, & 6) denique nullibi in sacris paginis reperimus, sceminam hoc diro morbo fuisse sollicitatam, nisi sororem Mosis Mirjam Deuter. XII. Hinc porro si quæ-

quæstio occurrat, num nostris adhuc temporibus detur lepra Judaica? hanc recte negasse videtur OSIANDER *in Comment. ad Pentateuch. Part. III. pag. 112.*

## §. IX.

Quod si ergo jam quæstio incidit, num forsitan lepra quadam laboraverit Lazarus? hanc de lepra Græcorum vel Judaica plane negamus. Namque juxta divinam legem leprosi Judæorum a confortio sanorum hominum penitus removeri debuerunt, ne inquinarent alios. At enim vero, cum licuit Lazaro ante divitis epulonis fores procumbere: vero utique est simillimum, ipsum hac lepra minime fuisse confictatum. Quod autem attinet lepram Arabum, seu Græcorum elephantiasin: haud ignorari oportet, omnes veterum medicorum unanimi consensu, eum morbum divi Lazari appellare sueviffe; quos inter auctoritatis causa allegamus FORESTVM *obs. chirurg. Lib. IV. pag. 106.* FALLOPIVM *Oper. med. Tom. I. pag. 268.* GREGORIVM HORSTIVM *obs. medicin. Sect. IV. pag. 388.* quid? quod Fallopius expressis enunciet verbis: *morbum hunc patiebatur S. Lazarus, mendicus ex Evangelio.* Hinc quoque iis temporibus, quibus primum Italiam obsidere cepit hæc affectio, præter nosocomia ædificata fuerunt leproforia, quibus fruebantur soli leprosi: qualis cum deinceps putatus fuit Lazarus, hæc nosocomia leproforum dicta sunt Lazaretta, teste CORNELIO a LAPIDE *in Comment. ad cap. XVI. Lucæ.* Quam ob causam excusationem me impetraturum confido, si elephantiasin hanc, quam omnes hucusque vocarunt morbum Lazari, superius paulo fufius descripserim.

## §. X.

Verum enim vero pace tot clarissimorum virorum negaverim, Lazarum laborasse elephantiasi Græcorum. Namque si ea laboravit, laboravit confirmata, quoniam dicitur ulcerosus. Si ergo laboravit confirmata, & odorem spiravit foetidissimum, & faciem præ se tulit fœdam, tuberosam, aspectu horrendam: siquidem teste HORSTIO *in obs. med. Sect. IV. pag. 388.* faciei deturpatio illius morbi elephantiaci propria ac diagnostica exhibuit signa. Quis ergo crederet, fore ut dives helluo permiserit, tam turpe fœdumque spectaculum ad ejus fores procumbere? Præterea autem, cum contagiosum fuit hoc morbi genus: Judæos procul dubio hoc morbo affectos ab omni hominum consortio fuisse separatos, vèro est simillimum. Et denique si per metaphoram a similitudine miseriæ, quam leprosi cum Lazaro communem habere viderentur, desumptam fuisse denominationem contendas: quid, quæso, opus est nomine metapharico, ubi jam proprium adest? & quare tribuimus alicui morbo denominationem metapharicam, quæ alij magis proprie convenire inferius ostenderetur?

## §. XI.

Non alienum erit hoc loco allegare quædam ex WEDELII *exercit. medico-philoz. Cent. II. Dec. II. exerc. II.* ubi agit de Lazaro ante portam. Postquam auctor in criticis ac philologicis versatissimus, de Lazaro, ejusque conditione exegesis veluti quandam præmisit; & ad explicandam ipsam, qua sollicitatus fuit Lazarus, ægritudinem devenit: concedit equidem Lazarum ulceribus sordidis ac scorbuticis affectum, universali humo-

morum laborasse dyscrasia. Fovet autem duas opiniones, quibus, pace tanti viri, calculum addere valde dubito. Putat etenim primum, ulcera præsertim occupasse pedes: cur? quoniam reliquum corpus stola ordinaria, seu saltem lacerò centone indutum fuisse credit. Sed insufficiens hæc concludendi ratio: pedes fuerunt nudi, ergo maxime ulcerosi! Deinde vero pag. 13, putat, quod cum sæpius contingat, ulcera externa complicari morbis internis, vero sit simile, Lazarum simul laborasse ileo hæmatite Hippocratis. At enim vero, quæ, qualis, quanta conclusio! Ego certe hisce conjecturis, cum ne minimam quidem fundamenti speciem habeant, subscribere neutiquam possum. Majorem probabilitatis gradum præ se fert sententia, quam fovet SALVIANVS MASSILIENSIS *lib. 3. contra avaritiam pag. 115.* Lazarum, enim inquit, *dives contempserat, qui in pure ac sanie computruerat; ejus fetorem ac squallorem longe refugerat, qui membrorum suorum ulceribus canes paverat, quæm SCALENTES VERMIVM GLOBI ETIAM INTRA RECESSVS PERESI CORPORIS EXARARANT &c.* Nimirum, cum hoc ulcerum genus præ reliquis ad recipiendam verminosam colluviem esse opportunum, ex infra dicendis patebit: facillimum fuit, ut ea ulcera in Lazaro etiam vermibus fecerint. Sed nec hæc conjectura nobis utilitatem spondet.

## §. XII.

Missis ergo, quæ nullo gaudent fundamento; cum recensiti morbi ita sunt comparati, ut non adpareat, qua ratione nomen morbi Lazari istis competat, nisi velimus per metaphoram loqui: dispiciendum jam erit, numne detur morbus quidam ulcerosus, qui eo nomine magis

magis sit dignus? sic enim argumentamur: si datur morbus ulcerosus, qui cum Lazari vitæ genere ac conditione omnium maxime quadrat; hodiernis adhuc revera existit temporibus; & nullum nomen proprium adhuc nactus fuit: ille præ omnibus aliis morbus Lazari adpellari meretur. At vero dari talem morbum postea ostendemus; ergo eum dignum reputamus, qui dicatur morbus Lazari. Nihilo tamen minus, licet vero videatur simillimum, Lazarum revera eo morbo sollicitatum fuisse, haud demonstrative audemus hoc affirmare. Nobis enim perinde est: id duntaxat jam instituti ratio exigit, ut ostendamus, quem sub morbo Lazari intelligamus morbum; illius historiam ac causalem explicationem tradamus; eundem nondum revera habere nomen proprium monstremus, ac denique mendendi rationem subnectamus.

§. XIII.  
Intelligimus ergo per morbum Lazari affectum quandam ulcerosum, cujus ulcera sunt fordida, occupant musculosas potissimum corporis partes, abdomen, dorsum, brachia, femora; fovent carnem subtus jam putridam; saniem plorant turpem foetidam; coalescunt facile; sed mox in altero loco recrudescent, hanc scenam per multos longosque annos, maxime in personis infimæ sortis, plebejis, mendicis foedo ludunt spectaculo, & ægre perfectam admittunt sanationem. Vocatur vulgo *der Wurm, ein Wurm Schaden*: quasi vero hic affectus ad recipiendam atque fovendam vermium colluviem ob suam sorditiam præ reliquis existat opportunus. Est quoque ad generandos vermes revera maxime promptus; quos si actu fovet, dicitur *ulcus vermino-*

minosum, merito & proprie a nostro morbo distinguendum. Jam vero, priusquam ad hujus historicam progrediamur explicationem: præmittemus quasdam de eo morbo observationes, ab amico quodam nobiscum communicatas.

## §. XIV.

Fœmina XXX. annorum, quæ præmaturo mariti, pastoris suum, obitu ad eam redacta erat miseriam, ut per decem jam annos ostiatim victum quærere debuerit; inciderat sub hac vagabunda vita in militis cujusdam exauctorati, erroneis pariter mendici societatem, ab eoque sub spe matrimonii ad intimiorem familiaritatem & coitum frequentiorem adducebatur. Hujus autem vitæ tandem pertæsa, ulterius cum hoc nebulone rem habere recusavit: at ab illo verberibus male habita & pedibus pessum data fuit. Quibus cum pectus miseræ percussisset sæpius; illa non solum sanguinem spere cœpit; verum etiam tuberculo inter mammas suborto corripiebatur; quod emplastro therebinthinato inunctum latius serpere cœpit, & adplicato demum emplastro mellito variis locis exulceratum est. Abhinc jam quatuor agebantur anni, cum insuper mensium suppressionem, fluoris albi continuum profluvium, spirandi difficultatem, capitisque ac artuum atroces retinuisset dolores. Pectoris ulceribus imposito fimo suillo consolidatis, nova succedebant in femoribus, dorso, poplite, aliisque locis, adeo ut toto corpore Lazari instar ulcerosa existerit. Erumpunt nimirum in quodam loco tubercula livida, quæ demum rupta carnem subtus ostendunt ferme putridam, ichorem plorant fœtidissimum,

num, colorem nigrum exhibent; & uno loco coalita, aliis in partibus recrudescent.

§. XV.

Alteri mulieri XXX. & quod excurrit annorum, infimæ fortis, amore olim surreptitio usæ, hinc spurium fœtum enixæ ac fluori albo obnoxia, novem abhinc annis quædam in sinistro pede efflorescebant prurientes pustulæ, quæ ex incongrua curatione, latius serpentes, fonticulo demum brachio inflicto sunt sanata. Quatuor elapsis annis doloribus dextri humeri vagis sollicitata, illos venæsectione & scarificatione ejusdem humeri fugavit: quibus fugatis adparuerunt in eodem brachio tumores, qui exulcerati putidum mox fuderunt ichorem cum fœtore & profundius serpsērunt. At his a chirurgo quodam consolidatis nova in poplite recrudescebant tubercula, quæ statim in ulcera profunda, fœtida, dolore ac ardore stipata dehiscēbant. His iterum per imposita folia hyoscyami coactis, nova in aliis locis efflorescebant, & hanc per plures annos ludebant scenam. Alia scēmina rustica post suppressos ante quatuor annos menses, de ventriculi dolore, artuumque tormentis conquesta, consuluit empyricum circumforaneum; qui propinatis remediis effecit, ut illa ulcera abdominis, femoris, aliarumque partium post prævia tubercula inciderit, iisdem, uti antea dictum, symptomatibus. Alius vir mercenarius iisdem ulceribus vagis, sordidis, fœtidis, post toleratam febrem acutam infestabatur: in quo notatu erat dignum, quod ubi sanescere videbantur hæc ulcera, ille in artuum immanes inciderit dolores, & demum in ipsam iterum



iterum acutam febrem; quæ recrudescentibus ulceribus solvebatur.

§. XVI.

His ergo eum in finem allegatis, ut appareat darl revera hunc morbum ulcerosum, de quo apud plerisque scriptores medicos ac chirurgos altum est silentium: illius historiam paucis complectemur. Infensus nimirum potissimum est hominibus plebejis, fordidis, mendicis, impuro vitæ genere utentibus, ac in victu pariter ac amictu immunditici indulgentibus, partim ex lubricidine, partim necessitate coactis: neque ideo forsam a Doctissimo Ramazzini inter morbos artificum relatus, cum mendici non sint artifices. Pertinet potius ad magnos morbos, quorum parva sunt initia. Namque occupant primum pustulæ, tumores, tubercula parva partes maxime musculosas; livida sunt, majora evadunt, pruriunt, ardent: mox dehiscunt in rimas ac aperta ulcera: quæ carnem subtus jacentem exhibent corruptam, nigram, ac fere putredinosam, sensu tamen non penitus ablato: ichorem plorant foetidissimum; magis serpunt in profundum ad substratos musculos, eosque consumunt, exedunt, depascunt: hinc coalita cicatricem formant, ac foveam reliqua cute magis depressam, & profundiore. Consolidantur in uno loco facile: sed in altero plus minus remoto nova succrescunt iisdem symptomatibus, pruritu atque dolore stipata; & quod maxime miror, hanc scenam per aliquot annos ludunt, vita superstite. Ægerrime enim perfectam admittunt curationem; sæpius complicantur vermibus, qui tanta caterva ac multitudine ea ulcera occupant, ut nullis ferme remediis deleri queant: subest frequentius

venerea inquinatio, ac in sequiori sexu fluxor albus: ut taceam reliqua symptomata magis accidentalia. Neque tamen more ulceribus venereis consueto pudenda, fauces & faciem obsident, sed magis brachia, humeros, dorsum, lumbos, abdomen, pectus, femora, suras &c. occupant. Quando ita per satis longos saevierunt annos; tandem lenta, hectica, depascens supervenit febricula, miserosque a suis vindicat calamitatibus.

## §. XVII.

Qua igitur notata morbi historia, illius causalem explanationem prosequemur. Vlcus ut a vulnere, quod est latio continui recens in partibus mollioribus, a causa externa secante, rumpente, pungente aliaque inducta, rite distinguatur, est latio antiqua, a causa magis interna excitata, cum humorum quorundam corruptione ac ichoris serosi plus minus putidi effluxu stipata. Læsiones externæ in nostro morbo obvia possident eas adfectiones; Ergo sunt ulcera. Omne ulcus involvit corruptionem alicujus humoris: qui cum varii sint, varietate corrumpantur, varia constituunt ulcerationum genera. Corruptuntur autem humores vel soli citra peregrinum fermentum; vel ab alio miasmate, sæpius contagioso. Hinc resultant ulcera vel simplicia, vel qualificata.

## §. XVIII.

Quemadmodum humores nostri corporis differunt inter se: ita corruptio, prout hos vel illos occupavit, ulcerum simplicium producit varietatem. Quare haud ignorari oportet, quemcunque humorem peculiarem subire corruptionem: sanguineus nimirum cruor sphaelosam & putredinosam, uti in sphacelo; serosa coluvies

lucius ulcerofam, uti in plerisque ulceribus superficialibus cutim duntaxat corrodentibus: lymphaticus latex mucidam spissam, uti in tumoribus aliquatenus; solus enim raro corrumpitur; salivalis ros acriorem fermentescentem; chylosus ac lacteus succus ulcerofam acidam parunt corruptionem. Hæc ulcera proprie ac strictè merentur nomen simplicium. Verum enim vero cum sæpius contingat, & in uno ulcere bini humores simul corrumpantur: facile adparet, simplicia ulcera late dicta omni fundamento dividi debere in talia strictè nominata, qualia fuerunt recensita; & mixta sicce composita, a qualificatis separanda.

## §. XIX.

Quamobrem ulterius sciendum, serum & lympham rarissime separatim corrumpi; sed plerumque complicatam esse horum succorum corruptionem. Veruntamen in quacunque ulceratione serosiores partes præ lymphaticis sunt corruptæ; ibi est ulcus indolis simpliciter falsæ: qualia deprehenduntur ulcuscula scabiosa, achores &c. His proprius est pruritus. Vbicunque autem lymphatica corruptio prævalet serosæ: enascuntur ulcera acriora, rodentia, callosa, serpiginosa, herpes &c. quibus propria est rosio; arrodunt autem solum tantummodo cutim, vel saltem summam carnem. Quandoque denique partes lymphatico serosæ ita corrumpuntur, ut sanguinis quasdam particulas in corruptionis societatem rapiant: suboritur ulceratio semi putrida, cui proprius ardor ac æstus.

## §. XX.

Seorsim de sanguine notandum, quod ille cum reliquis humoribus corruptionem subiens, satis fontica

constituat ulcera putrida, mali moris sive cacœthea; quæ substratas carnes, musculos, nervos, tendines &c. depascunt, profundius exedunt, ichorem plorant putridum, fœtidissimum, nigredinem contrahunt. Observetur autem sequens differentia: Quando sanguinis tenerimæ, flavescens magis particulæ modica quantitate cum majori feri vel lymphæ copia corruptionem subeunt; exsurgunt ulcera erysipelacea, ex erysipelate male tractato suborta, quæ sub nomine herpetis æthiomeni indigitalasse videntur veteres. Quum autem sanguinis subrufa magis complicatur substantiâ; emergunt ulcera profundius serpentina, colliquantia ac vicinas exedentia partes, quæ vocantur phagædenica, ambulativa, manducativa &c. Horum pessimum videtur illud, quod veteres ulcus nomodes seu nome vocarunt. vid. FALLOPIUS *tr. de ulceribus pag. 14.* ubi præter allegata signa sensus adest privatio ac mortificatio, & quod gradu tantum, ac in eo differt ab ipso sphacelo, quod in illo sanguinis corruptio aliis humoribus paullulum veluti coërcetur, ne tam præcipitem putredinem ac mortem inferat. Quod si denique sanguis cum chyloso aut lacteo serosoque humore, & quidem in partibus glandulosis corrumpitur: resultat ulcus cancerosum, carcinoma, cancer.

#### §. XXI.

Restant adhuc ulcera qualificata, quæ specificam ferme corruptelam ac peregrinum possident fermentum. Horum recensentur bina, nimirum scorbutica & venerea. In illis deprehenditur universalis humorum dyscrasia scorbutica, quæ in peculiari eorundem coagulo consistere videtur: ex qua dein sanguinis hac corruptela imbuti,

bati, & cum sero acri in stasin abeuntis fit corruptio ulcerosa, odore fœtido, colore nigricante, ichore tenui fœtido, conspicua. Contra vero ulcera venerea nituntur magis obfuscatione humorum seroso salivalium ac feminalium; spirant odorem magis nauseosum & situlentum, quam fœtidum; & præ aliis partibus pudenda, faciem, fauces obsident. Neque vero negari potest, quin & hæc ulcera qualificata insuper composita reddiqueant: sicuti venerea cum scorbuticis commode complicari queunt.

## §. XXII.

Quæ itaque in nostro morbo occurrunt ulcera; ea profundius ad substratas partes serpunt, fœtorem exhibent putredinosum, nigricantem carnem monstrant, ichoremque fundunt fœtidum; ergo involvunt corruptionem humorum sanguineo serosorum, & sunt ulcera phagædenica. Deinceps in nostro morbo homines vitæ impuro, ac sordido vitæ genere utuntur: hinc sunt scorbutici adeoque eorum ulcera scorbutico phagædenica. Quum autem subjecta illa porro in sordida sua vita abutuntur venere, eaque utuntur impura, in tali vitæ genere frequentissima: sæpius fit, ut ulcera eorum sint complicatissima, nimirum phagædenica scorbutico venerea.

## §. XXIII.

Neque vero jam opus esse putamus, ut pressius ac fusius recensendis causis nostri morbi occasionalibus insistamus: sponte enim patet, has inter efficacissimas esse, quæ recensita dyscrasia humores imbuere valent. Ea vero jam nobis occurrit objectio; qua cum superius diximus, morbum præsentem nullum adhuc nomen habere proprium; præcedente autem periodo ulcera vocavimus

mus phagædenica scorbutica, nobismet ipsis contra dixisse videri possemus? Verum enim vero, quemadmodum insuperficialibus ulcusculis falsis seroso lymphaticis, ille affectus, in quo ea deprehenduntur, vocatur scabiosus, achores &c: quidni nobis liceret, morbum, in quo occurrunt ulcera scorbutica, phagædenica, venerea, Lazari affectum denominare; Eo magis, cum hæc ulcera in hoc morbo, ab iis, quæ aliis singula ac separata incidunt, longe discrepent; quia partes magis musculosas occupant, consolidata in aliis locis erumpunt, ac tam diu hanc scenam, vita superstite ludere queunt.

§. XXIV. *De morbo Lazari*

Dum itaque subjecta morbi Lazari sint homines plebei, mendici, victu impuro, sordidis habitaculis gaudentes, hinc accedente levi amictu salutarem transpirationis successum præpedientes: facile patet, quod ex iis causis, sibimet acquirant dyscrasiam totius massæ sanguineæ scorbuticam. Quæ cum succi reddantur acres, crudi, spissi ac specificè coagulati: illorum portio quædam sanguineo serosa facillime in partibus potissimum exterioribus, ubi sanguinis circuitus tardior est atque debilior, stagnationem & stasim subit. Stagnantes ergo ac accumulati in musculo quodam humores amplius occupant spatium; hinc fibras musculares ac cutim relaxant, distendunt, elevant, & in tuberculum attollunt. Quæ stasis cum sanguineo serosa sit; tubercula illa obscurum acre pruritus, ob sanguinem ardorem referunt; & quia serum cruore tinctum cutim jam relaxatam ingreditur, livida adparent. Interim stagnans ea portio, adhuc intra musculos inclusa, abit in corruptionem putredinosam: hinc fibras musculi, cutimque ex-

dit,

dit, depascit, colliquat, hanc in rimas diffindit ac ipsa ulcera. Hæc aperta ob serum corruptum fundunt ichorem; ob intermixtum sanguinem foetidum, colorem nigricantem, carnem semî putridam ostendunt; & sic profundius serpunt, donec expurgata colluvie corrupta coalescant, & ob exesam carnis portionem, foveam reliqua cute profundiolem relinquunt.

## §. XXV.

Consolidantur autem hæc ulcera facile; quoniam more ulceribus putredinosi consueto affluxu humorum inflammatorio sunt destituta, & hinc evacuata ulceris materia nihil est, quod coalitionem impediat. Quo vero minus sanguinea corruptio putredinem inducat sphacelofam; prohibet ei intermixta serosa portio, quæ illam coerces, ac putredinem lentiolem veluti muriaticam constituit, vi suæ falsedialis, cujus interventu a velociore prohibetur fermentatione. Talia ergo sordida ac putrida ulcera vermium colluviem admittunt facillime, & eo magis, cum forsitan plebeji isti homines illis imponant folia brassicæ aliaque seminio verminoso scatentia. Consolidata autem in alio loco erumpunt: neque mirum: causa enim, quæ huic coälito jam ulcერი natales dedit, jam adhuc præsto est; quæ cum homines per multos annos occupat, hanc ulcerosam quoque tragediam per multos annos ludit. Salutari autem consilio accedunt hæc ulcerationes, quibus inimica humanæ machinæ saburra eliminatur; hinc non miror, quod vir ille, cujus sub finem §. XV. mentionem fecimus, ulceribus suis penitus coalitis inciderit febrem acutam, illis vero iterum efflorescentibus, ab hac liberatus fuerit.

D

§. XXVI.

## §. XXVI.

His ergo præmissis facile colligi potest, hæc ulcerâ fati diuturna, & ob pertinacem ac intimam humorum dyscrasiam, curatu esse difficillima; quæ curatio eo magis impeditur, cum homines plebeji tam accuratum victum observare haud possunt. Quod itaque ipsam attinet curationem; occurrunt bini potissimum scopi, nimirum ut primum massa sanguinea depuretur, ac a scorbutica inquinazione vindicetur; deinde ipsa ulcera abstergantur atque mundificentur. Depuratio humorum solidam promittit curationem: pro qua impetranda ante omnia eo studere convenit, ut robur ventriculi confortetur, ac digestiva vis restituantur: quo exinde chylus laudabilis, & ex hoc legitimus generetur sanguis: Deinde vero excretiones naturales, maxime quæ per alvum, cutim ac urinam fiunt, in legitimum ordinem atque successum reducantur: quo per eas jam generatæ sordes ac impuritates ex corpore proferbantur, Et denique talis vivendi ratio præscribenda, quæ bonos succos suppeditet.

## §. XXVII.

Egregius est aphorismus: impura corpora, quo plus nutriveris, eo magis lædes. Hinc in feliciter extirpando Lazari morbo non efficaciorum putamus curationem, quam quæ per famem fit (die Hunger-Cur) Hæc ita instituat, ut ægri primum vescantur cibus minus nutrientibus, iisque parcissimis; ac inter illos carnis affas magis quam coctis. Dein quavis mane portionem sulphuris antimonii fixati ad mentem *Excellentissimi PRÆSIDIS* præparati assumant ex decocto quodam antiscorbutico, quod ex radice sarsaparillæ, la-  
pathi



pathi acuti, & doronici cum aqua paretur; ex his enim sudor fluet egregius, quo impuræ humorum partes simul ejiciuntur. Pro potu ordinario inserviat idem decoctum magis secundarium: v. g. Recipe radicis sarsaparillæ uncias quatuor, lapathi acuti unciam unam, radicis Doronici unciam dimidiam. M. infundantur per noctem cum mensuris sex aquæ simplicis: coquatur mane ad consumptionem tertiæ partis. d. pro decocto primario. Hujus autem residuo addantur aquæ mensuræ septem, coquantur pariter ad tertiæ partis remanentiam. D.S. *Schwacher Fisch-Tranf.*

## §. XXVIII.

Vt sub hac curatione roboretur simul ventriculus; operæ erit pretium, sub epulis essentiam roborantem ac resolventem L vel LXX guttulis assumere; quæ ex succini albi pulverisati uncia una, cum tincturæ antimonii acris uncis sex infusa concinnari potest, eique essentia trifolii fibrini, aut marrubii albi permisceri. Proinde ut fordes mucidæ, & acres primarum viarum eliminentur; necesse est, singulo quadriduo laxans quoddam lenius rhabarbarinum exhibere; præstat enim generatim in hisce morbis remediis pugnare magis liquidis, quam ficcioribus atque pulverulentis. Hac curatione per tres circiter vel quatuor hebdomades protracta, si vires sint integræ, per aliquot hebdomades alternis diebus stupham siccam sudatoriam sub debitis cautelis ingredi, haud alienum erit: qua scilicet decoctum saturatius lateribus candentibus infundatur, & vapor corpore excipiat, capite probe munito. Haud enim ignorari oportet, homines hisce ulceribus affectos balnea sicca egregie ferre; & non dubitamus, quin ex di-

eta curatione debite adhibita felix insequutus sit eventus.

§. XXIX.

Quod externam horum ulcerum tractationem attinet: eo omnes nervos intendere oportet, ut illa mundificentur, ulcerosa putredo arceatur & abstergatur, ac si forsan verminosa præsto sit colluvies, ea eluatur. Huic ultimo scopo inservit egregie spiritus vini rectificatus. Inter mundificantia primum locum obtinent myrrhata, succinata, mellita &c. quæ simul putredinem mirifice arcent. Hisce vero, cum specifica sit corruptio, addi possunt succi herbarum antiscorbuticarum, veluti sunt cochlearia, beccapunga, fumaria, sedum vermiculare, acetosa &c. Convenit etiam in subjectis minus sensibilibus lixivium ex calce viva & sale ammoniaco paratum adplicare, quod potenter abstergit. Et denique egregiam exserit virtutem ferme specificam radix lapathi nigri palustris, a Muntingio nomine herbæ Britannicæ insignita, & vel in succo, vel linimento ulceribus inuncta.

§. XXX.

Quod si, ut sæpius fit, commixtum sit inquinamentum venereum: quæstio est, num salivatione uti liceat? Mihi quidem haud arridet; quoniam experientia constat, eam in affectibus scorbuticis majus inferre damnum, quam emolumentum. Et præterea spero, fore ut & hæc inquinatio commendata curatione expugnari possit. Magis arridet æthiops mineralis, ea ratione, quam *Excellentissimus D. Professor SCHVLZE in A. N. C. Vol. I. obs. 222.* exposuit, adhibendus: de cuius egregia in resolvendo humorum coagulo efficacia con-

conferatur prælaudati Viri *dissert. de aethiope minerali anno*  
1725. *Aldorffii habita.*

## §. XXXI.

Et hæc sunt, quæ paucis de morbo Lazari pro-  
ponenda duximus. Quicumque de illius vera existen-  
tia convictus esse cupit: haud adeat chirurgos funi-  
mos, sed nosocomia. Næc deerunt quidam hinc in-  
de dispersi Chirurgi civitatum; quos hæc ulcera sæ-  
penumero disrueciarunt; ex quorum numero nobis  
peritus hujus urbis Chirurgus STECHEISEN non-  
nullas enarravit hujus morbi observationes, cujus no-  
men se ignorasse fatetur. Si vero quidam fuerint, qui-  
bus hæc tractatio haud placuerit; non miror; *non e-*  
*nim omnibus, nec omnia mihi placere; quinam ego omni-*  
*bus?* Opto ceterum, ut hæc meæ meditationes,  
cum, quem intendi, adipis  
cantur

F I N E M.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

PRÆSES.

**C**ommuniſſimum eſt inter eruditos maxime  
vero inter Medicos hodie, ut de fortuna  
nimium adverſa, deque ſaculo bonis arti-  
bus inimico admodum triſtes conqueran-  
tur. Qua quidem de calamitate quotquot ego dolentes  
unquam vidi, tot ſua magis quam ſeculi culpa  
infortunatos eſſe deprehendi. Et quidem, ut aliorum  
taceam exempla ſapientium, ſi Medicos atate prove-  
ctiores tam fama ac dignitatibus quam opibus pau-  
peres cognovi; his vel ſolidioris Medicina ignorantiam,  
vel morum turpitudinem animique imprudentiam  
maxime obſuiſſe ſum expertus. Quare nec habeo,  
quod ſalutaris ſcientiæ cultoribus ab initio magis  
ſuadeam, ac diligentius commendem, quam ut pri-

primo in addiscendis rationalis theoriae fundamentis,  
iisque cum recta ratione ad usum applicandis omnem  
navent operam, deinde & morum diligenti cultura eo  
contendant, ut cum cujusque sortis hominibus pruden-  
ter atque modeste vivere advescant. Enim vero  
constanter observari, haec duo momenta, nimirum ac-  
curatorem in cognoscendis & curandis morbis peri-  
tiam, & prudentem vivendi rationem sola fere suffi-  
cere, ad felicem reddendum Medicum: cum ista ho-  
nores ac divitias, haec vero fiduciam atque amorem  
egrotorum, qui praecipuum fortunae Medicorum ful-  
crum est, conciliet. At vero, ut pateat, cur ista in  
medium a me prolatae sint meditationes, diffiteri non  
possum, CLARISSIME DOMINE CANDIDA-  
TE, me ex egregia TVA in rebus ad Medicinam per-  
tinentibus eruditione, pariter ac politissimis moribus  
multa capere TIBI gratulandi, ac bene de TVIS re-  
bus sperandi argumenta. De eruditione quidem  
TVA, quam duobus solemnibus examinibus, coram  
totius ordinis Medici confessu, haud vulgarem esse  
comprobasti, hoc certus affirmare possum; quod fe-  
lix morborum debellatio una cum fructibus atque praemiiis

niis dignissimis TIBI nunquam sit defutura : Deinde  
cum singularem in TE modestiam una cum laudatissi-  
mo aliis inserviendi studio semper animadverterim,  
non dubito inde augurari, fore ut communi & supe-  
riorum & equalium pariter ac inferioris ordinis homi-  
num favore atque amore diutissime sis fruiturus. An-  
nuat Deus ter O. M. spei ac votis nostris integerrimis ;  
atque in sui honorem proximique amplissimum  
emolumentum ut omnia TVA cedant conamina, ju-  
beat clementissime. TV vero sospes ac salvus vive,  
atque a me omnia, que TVVM ad commodum ullo  
modo pertinent, officia certus exspecta. Vale.

Dab. Hal. d. 12. Septembr.

MDCCXXXIII.



**B**eglückter Musen . Sohn , Du bist nun  
mündlich worden,  
Apollo hat Dich selbst für Majo-  
renn erklärt,  
Darum beschenckt er Dich anist mit einem Orden,  
Worzu Hygeens Hand den netten Schmuck  
gewehrt.  
Mit diesem puse Dich , er ist für Dich bereitet,  
Du biß dergleichen werth , Dein Fleiß hat ihn  
verdient,  
Er wird Dir niedlich stehn , zumahl da Dich be-  
gleitet,  
Ein wohlgebauter Leib , bey welchem Tugend  
grünt.  
Ich wünsche Dir viel Glück zu dieser neuen Würde ;  
Der Höchste seegne sie mit Klugheit und Ver-  
stand,  
Damit Dir künfftig hin der Pflichten schwere  
Bürde  
Um desto leichter wird , und was denn Deine  
Hand ,

E

Durch

Durch Kunst und Wiß gemischt, den armen  
Patienten

Gleich eine Panace und Lebens-Balsam sey:  
So wirßt Du mit der Zeit, von Deiner Mühe,  
Renten

Im Ueberflusse ziehn; ich setze noch dabey:  
Ein Weibchen die Dir hilfft, Arcana compo-  
niren,

Davon Du Autor bist, und die Dir äh-  
lich sind.

Mur laß Dich nicht den Geiz zu einem Schatz  
fuhren

Der deine Gold-Tinctur zerstreut in Dampf  
und Wind.

Wann Du denn glücklich lebst, in Deinem Va-  
terlande

Und wegen Deiner Kunst Dir jeder schöne thut;

So dencke auch an die bey welchen Du zum Pfande  
Dein wahres Wort gesetzt, ja selbst den Do-  
ctor Hut,

Sie



Sie von der Freundschafts Pflicht niemahlen aus-  
zuschliessen,

Ich sich're daß Dir diß noch grössres Glück  
bringt,

Doch was bedarf es viel? Du wirst es selbst  
wissen

Wie man sich in der Welt zum Tugend Gipfel  
schwingt.

Wenn mir es so wie Dir allhier nach Wunsche  
gehet

So kan es wohl geschehn, daß ich in kurzer  
Zeit

Persöhnlich sehen kan, wie fest Dein Glück  
stehet  
Geh nur indeß voran, ich folge Dir bereit.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte sich zu beständi-  
gem guten Andencken bestens empfehlen des  
Herrn Autoris gegenwärtiger Dissertation  
anfrichtigster Freund Diener

**Daniel Gottfried Müller,**  
Lignic. Siles.



( O )



DE  
BIBLIOTHECA MUSEI HISTORICO-NATURALIS  
MUSEI HISTORICO-NATURALIS

SPASMI GULAE INFERIORIS  
ET DE NAVSEA

GRATIIS FACULTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

DR. FRIDERICO HOPFMANNO  
ACADEMIAE FACULTATIS MEDICAE  
SENIORI

PHYSICO-DOCTORIS GRADU

PHYSICAE FACULTATIS DISCIPLINAE  
PRAESIDE

JOHANNES CHRISTIANUS ZWIGEL  
PHYSICUS  
M.D.C.C.C.




HABE MUSEUM  
PHYSICUM HISTORICUM, AERIS PURI









DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO CHIRVVGICA  
DE  
**MORBO  
LAZARI**

*QVAM*  
CONSENSV  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
ACADEMIÆ ET FACVLTATIS MEDICÆ  
SENIORE

PRO DOCTORIS GRADV  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBMITTIT  
D. *Septembr. Anni MDCCXXXIII.*  
AVCTOR  
SAMVEL GOTTFRIED FEIGE  
KREIB. SILESIVS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ  
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

